SLUB
Wir führen Wissen.
Christian Weise Bibliothek

Q. D. B. V.

MEMORIAM
NIVALIS ITINERIS,
PRÆTORI SPECTATISSIMO
DN. JOHANNI CHRISTIANO MEYERO,
IN FLORALIBUS JOHANNÆIS,
ANNI MDCCV.

lætantes & optantes non repetere ſolum, ſed & futuris
auſpiciis ſacram eſſe voluerunt

AMICI.

NUnc juvat elapſam revocare ad jubila brumam,
Candida qvod niveum vota ſeqvuntur iter.
Nunc dulce eſt veterum tandem meminiſſe laborum,
Et ſpectaſſe vagas vaſta per arva vias.
Gratia qvippe ſuum decorans æſtiva JOHANNEM,
Reddidit optatas perpete flore vices.
Nunc via, nunc reqvies in apricis qværitur hortis:
Nec facit indignas turbo vel aura moras.
Omnia ſuccedunt, cupiens applaudit amicus:
Omen & ex anni fertilitate venit.
Teſtis ades MEYERE, Tibi qvam rideat annus,
Qvamq; parum votis nunc prior obſtet hiems.
Scilicet iſta Tuum commendat Gratia Nomen,
Qvi pia divini ſigna JOHANNIS habes.
Interea ſiqvid gemina ſub imagine ludit:
Reſpice, qvæ fuerit ſortis imago Tuæ.

Pectora qvi geſtas ſublimibus obſita curis,
Qvid? niſi per medias cogeris ire nives.
Nunqvam ceſſat hiems, qvin ſe ipſa exaſperat æſtas,
Tramite nec facili volvere cuncta licet.
Sæpe Tuus vultus verno velut igne coruſcat:
Mens tamen in dubiis fluctuat alta viis.
Aula qvid expoſcit? qvid Patria, Curia, cives,
Qvid cum lite forum? vita qvid ipſa movet?
Attamen his curis ſua non ſolatia deſunt,
Veſtit & auſteras mollior herba nives.
Ipſe Deus vario qvi tempore temperat orbem,
Dirigit arbitrio munia ſancta ſuo.
Hoc duce triſtis hiems & commoda perplacet æſtas,
Qvo duce ſubſidium, qvo duce finis erit.
Sic ubi difficiles olim ſuperaveris horas,
Perpetuo liceat veris honore frui.

Tunc nos excipiet poſt invia tormina LOBEN.
Atq; dabunt LAUDES læta per aſtra ſonum.

ZITTAVIÆ, typis Michaëlis Hartmanni.

SLUB
Wir führen Wissen.
Christian Weise Bibliothek

SLUB
Wir führen Wissen.
Christian Weise
Bibliothek